

EPISTULA LEONINA

CXXX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXIX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TRICESIMAM (130) !


ARGUMENTA

1. QUOMODO EMMAUM ITER FECERIM – Narratiuncula Petri Rosegger.....04-13
2. LEPUS PASCHALIS – Fabella picturata.....14-17
3. HISTORIA BOMBINARUM (V).....18-26
4. VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (III).....27-29
5. ET INTER GENTES VIXIT – Verba paschalia Iohannis Teresi.....30

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam tricesimam. Quae est Epistula Paschalis. Ergo oportet sit laetifica. Bene scias olim quibusdam in regionibus Germaniae Christianos diebus Paschalibus risisse. Ita est: vocatur talis risus paschalis.*



Quae cum ita sint, hac Epistolâ Leoninâ 130 acceptâ oportet rideas, tollas, legas,... pancriticê valeas et pergas mihi favere!

**Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Dominico Paschali, d.16. m. Apr., a.2017**

* cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Osterlachen>



ET APERTI SUNT OCULI EORUM ET COGNOVERUNT EUM.

**Emmao in oppido duo discipuli Iesum resurrectum cognoscunt panem frangentem.
A.1622 pinxit Abraham Bloemaert Batavus.**

LUCAS 24,30 καὶ ἐγένετο ἐν τῷ κατακλιθῆναι αὐτὸν μετ' αὐτῶν λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησεν καὶ κλάσας ἐπέδιδου αὐτοῖς, αὐτῶν δὲ διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν.

i.e. Latine: Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis **et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum.**

QUOMODO EMMAUM ITER FECERIM

Narratiuncula Petri Rosegger paschalis

Die Lunae Paschali¹, cum in terrâ silvestri homines missâ sacrâ finitâ sedent prandium sumentes, accidit, ut aliquis dicat: »Hodie est dies Lunae Paschalis, hodie eamus *Emmaum*.« Tum ferê semper alter respondet assonatione iocosâ usus: »*nach Eb'naus* (i.e. in planum directum) ire, hoc nobis montanis est perdifficile.« At pater domûs severus vituperat talem iocum verbis his: »Sapienter loquere! De re sacrâ noli iocari!«

Ante meridiem in homiliâ dici audiverunt Iesu mortuo discipulos desolatos atque contristatos circumabulavisse de nemine cogitantes nisi de domino suo magistroque nonnullis diebus ante crucifixo et sepulto. Cum autem iidem per viam irent, quae ad Emmaum ducebat, in eos incidit crucifixus ipsissimus eosque salutavit: »Pax sit vobiscum!«, ut scirent se a mortuis resurrexisse.–

Incolae terrae silvestris pio animo huius rei meminerunt; alicubi, sive in viâ montanâ sive foris in valle, est caupona, cui nomen est Emmai, ad quam hâc die homines faciunt iter pium. – Illi homini, qui quietê contemplans ingreditur inter segetes virentes avibus canentibus, quae in ramis agilibus sedentes oscillantur, et qui in mitem aethera caelestem suspicit animo desiderii pleno, illi homini obviam venit Christus resurrectus salutans verbis quae sunt »Pax sit tecum!« - Illis, qui gravibus laboribus officii sui exanclatis hilari societate coniuncti ad cauponam gradiuntur, ut die festo animum recreent, sive amicus cum amico sive catulaster cum puellâ, cui est honestâ inclinatione deditus, sive violinista sive sibilator lucidum gaudium paschale celebraturus, illis obviam venit Dominus salutans verbis, quae sunt: »Pax sit vobiscum!« - At isti, qui vultu pietatem simulans mala cogitans Emmaum furtim repit, isti non obviam venit Salvator – sed fortasse aliquid aliud.

¹ diēs lūnae paschālis orig. *Ostermontag*, cfr Helfer, *Lexicon Auxiliare*, 3.ed. Saarbrücken 1991, p.408, s.v. Ostermontag (Latham, Revised medieval word-list from British and Irish sources, Oxford 1965, p.334, c.1200).

Illo tempore, quo fui puer ferê sex annos natus, pater meus aliquando inter ieiunia recipere voluit mercennarium quendam vagabundum, qui immigraverat; tali quidem tempore non plus laborum erat exanclandum quam nos unâ cum servis nostris ipsi poteramus, sed pater meus: »Nisi multum laborabit, saltem nos adiuvabit ieiunantes. Quidnam nunc faciet aliud? Qui barbâ iam est canâ.«

Mater mea: »Ipse est in culpâ. Quidni barbam rasitat? Iste Tritselius^a mihi displicet, homines dicunt istum iam fuisse custodiae inclusum«.

»Ne credas omnia, quae isti dicunt. Homines semper cupiunt alios diffamando peiores facere quam ipsi sunt«.

Mater verba repetens: »Tamen mihi displicet Tritselius. Qui visu est obliquo«. Pater: »Idem visu obliquo est« inquit »quia est oculis limis. At homo non est in culpa oculorum limorum«.

»Hoc quidem rectê dicis« mater respondit. »Et ne ille nunc mense Martio aliud munus non inveniens dormiat sub dio, velim a nobis recipiatur«.

Ergo convenerat inter eos. At cum mercennarium reciperet, pater non potuit quin interrogaret: »Nonne aliquando in custodiâ sedisti?«¹

»Certê iam sedi« Tritselius respondit.

»Quidnam deliquisti?«

»Scilicet aliquid grave, hoc intelligas, agricola silvestris. Fide non dignus sum, equidem!«

»Licetne mihi causam scire?«

»Quidni! Pauper fui rusticulus in fossâ rivi metalliferi²«.

»At haec non fuit causa, cur punireris!« pater meus vocavit.

»Scilicet paupertas sit res scelestâ« respondit Tritselius valdê subtiliter. »Cum autem vectigalia mea non possem solvere, pigneratores venerunt vaccam meam abducturi. 'Hanc quidem non amittam!' vociferatus pigneratori alapam duxi. Tum pro vaccâ me abduxerunt et in custodiam coniecerunt«. »Pigneratori alapam duxisti!« pater meus dixit cachinnans. »Ah, maneat, Tritseli«.

At veterator faciem rugosam – ita, ut hoc patrem meum falleret – contorquens, gilvis ciliis connivens mussitavit: »Bellulê isti persuasi!³ – Scilicet maneam«. Et sic pactum est.

^a orig. *Tritzel*.

¹ orig.: »*Bist du nicht einmal in der Keichen (Gemeindekötter) gesessen?*«

² orig. *Arzbachgraben*.

Tritselius autem vetulus mercennarius primo circa villam nostram paululum nivis vatillo sustulit, deinde paululum stramenti concidit, postea paululum stercoreis pabone extulit in hortum.

Eo tempore Tritselius unâ nobiscum diligenter observavit ieiunium quadraginta dierum et degit vitam probam. Paschate appropinquante pater significavit Tritselium nunc vernali tempore certê alibi quoque inventurum esse munus suscipiendum. At nunc mater mea: »Tritselius« inquit, »cum nos adiuverit ieiunantes, adiuvabit quoque nos comedentes; quis scit, quo loco alio inventurus sit pernam benedictam et lagana paschalia¹«.

Itaque vir vetulus barbâ canâ praeditus diebus Paschalibus mansit in domo nostrâ, comedendo se diligenter saturavit necnon libenter habuit colloquia christiana. Itaque Die Lunae Paschali inter prandium: »Oportet« inquit »nos hodie ire Emmaum. Puerule, vin' mecum ire?«

Sic interrogavit me. »Ita faciam, Emmaum tecum ibo!« Mater contradicens: »Scilicet ! Parvuli ne eant in cauponam!«

At Tritselius graviter respondit: »Rustica Silvestris, nil dixi de cauponâ. Equidem fidem christianam aliter considero quam alii. Iter Emmaum faciendum est iter sacrum. Iter sacrum, mea cara Rustica Silvestris! Ibimus ad sacellum crucianum, ibi Salvatorem certius inveniemus quam in cauponâ – ut mihi videtur«.

»Hoc quidem verumst« pater dixit concedens, ut mihi liceret iter facere cum Tritselio.

Sacellum crucianum a nobis distabat itinere unius ferê horae, in montium communi prato silvestri situm. Aestate cum ventus procellae flabat ibique campanula pulsabatur, sonus audiebatur a nobis in villâ versantibus. Tempore ieiuniorum sacellum libenter frequentabatur a piis peregrinatoribus, quorum omni feriâ sextâ e propinquo et longinquo multi veniebant religiosê, candelas accendebant ante imaginem crucifixi, quae magnitudine veritatis simili praedita in sacello altari erat superposita, orabant, sacrificia deponebant modica, animis levatis domum revertebantur. Cum in propinquo huius loci

³ orig. »Ein Gusto, wie sich der anplauschen laßt!«

¹ orig. »...wer weiß, wo er sonst ein Weihfleisch und die Osterkrapfen finden kunnt.«

contemplativi nullum esset habitaculum humanum, cottidie e villis rusticorum silvestrium anicula ascendebat, ut sacellum aperiret et clauderet necnon campanulam pulsaret.

Hic ergo fuit Emmaus noster, ad quem iter fecimus sacrum, ut Tritselius vetulus mercennarius iterum iterumque affirmabat.

Iter fecimus per prata, silvulas, via quibusdam in locis adhuc imposita erat crustis nivium sordidis, aliis locis nix liquefacta defluebat, aliis iimus per caespitem apricum nivis expertem. In omni viae flexurâ acribus oculis prospexi, num nobis obviam veniret carus Salvator. Tandem e longinquo conspexi figuram ex umbrâ exeuntem; quae lentê ad nos vacillabat, etiam etiamque appropinquabat, et cum esset nobis proxima, non fuit carus Salvator, sed anicula, quae clavem attulerat a sacello. Eadem verbis, quae sunt »Nescio an nunc caelum fiat serenum« Tritselium est allocuta.

Is autem respondit: »Tempus quidem est aptum« et protinus trepidare perrexit. Cum illam non iam videremus, Tritselius: »Hoc quadrat« inquit, »certê illa sacellum concluserat!« Ego autem: »Currendo assequar et dicam illi, ut rediret!«

At vetulus me vituperans dixit: »Ne curras. Nonne te miseret hominum seniorum? Vin' illam idem iter compluries facere more canino? Illa non iam it pedibus tam iuvenilibus quam tu! Nos certê rationem inveniemus, quâ sacellum ineamus«.

In bivio quodam Tritselius ex me quaesivit: »Num ibi sinistrorsum ascenditur ad Villam Sclopetarii¹?«

»Ita est, ibi ascenditur ad Villam Sclopetarii«.

»Verumne ille tot res possidet vetus ille vir Villanus Sclopetarii²«

»Reverâ dicunt illum esse divitem« respondi.

Tritselius: »Postea« inquit, »Villanus Iaculatorum veniet in gehennam. Divites omnes necesse est illuc deferantur. Caritate curemus, ut veniant in caelum«.

¹ orig. *Schützenhof*. – *sclopētārius, -ī m. cfr Alfred Hartmann, Die Amerbachkorrespondenz, Basel 1967, Die Briefe 1544-47, tom.8, p.403.: „...Arkebusier sclopetarius, Büchenschütze.“

² orig. *Der alte Schützenhofer*

»Verumst« affirmavi.

Tandem assecuti sumus silvestre pratum commune¹. Quod erat umbrosum, arborum tantum culmina erant aprica. In prato restabat nix, quae etiam tecto sacelli inerat, cuius de margine pendebant stiriolae² stillantes. Cum introitui appropinquaremus, vetus Tritselius unâ manu petasum deposuit, alterâ capillos canos levigavit. Deinde ansam ianuae depressit. At ianua non est aperta, et Tritselius me aspexit stupefactus. »Ianuam« inquam »conclisit«.

Tum Tritselius me increpans: »Scilicet« inquit, »illam conclusisse, baburre³, alioquin ianua adhuc esset aperta!« Huius rei me taeduit. Verê locutus eram, ille quoque, sed quare me tam vehementer increpuit!

Ille sacellum circumiit, quasi quareret alterum introitum. »Ecce!« subito vocavit. »Ecce fenestra. Foricula aperitur, sic! Haud magna quidem est apertura, sed homuncio tam macellus quam tu es, illuc repere potest!«

At ego reluctans: »Mene macellum?« inquam, »Non, illuc non irrepam!«

»Vah puerule, scilicet irrepas. Postea introrsus repagulum ianuae removeas meque sinas introire; ante crucem genua flectamus et unâ oremus«.

Ante crucem genua flectere et orare, hoc quidem placuit, nam Iesum crucifixum cum perquam diligenter orando delectare volebam. Itaque concessi, ut Tritselius me tolleret et fenestrae imponeret et fortiter premeret, quia aliquantulum angusta erat illa portula caeli. Uno impetu pulsus intra delapsus sum. Clamorem cum edidissem, ille foris quaesivit: »Esne violatus?«

¹ orig. *Waldanger*.

² **stiriola**, -ae f. orig. *Eiszäpfchen*. cfr Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache, tom.2, p.528: »...stira* (Fest. p.344:stiri-cidium quasi stilli-cidium) ...*) Nicht von **stiri**a ..., dessen Diminutivum ***stiriola** lauten müßte...“ - cfr Franz Güssmann, *Lithophylacium Mitisianum*, Viennae 1785, p.295: »...14.a.Q.c. cristallis minutis pyramidalibus; et polyedricis in **stiriola** imbricata connatis, lignum petrificatum tegentibus. *Leopolis*.“

³ orig. *du Narr*. baburrus, -i m. ISID.10,31 i.q. stultus, ineptus.

»Nescio, tenebrae sunt densissimae« respondi, nam non vidi, utrum nares meae madescerent sanguine an aliâ re. Deinde ianuam accessi. »Remove repagulum!« foris Tritselius vocavit.

»Non est repagulum« rettuli, postquam ianuam diu manibus exploravissem.

»Gerrae! Certe ibi est repagulum¹. Omne claustrum habet repagulum«.

»At hoc est claustrum ferreum neque potest aperiri«.

»Ferreamne? – Malum! Paene exsecratus sum, nisi esset dies consecratus«. Sic ille dixit foris. Et loqui perrexit: »Attende, puerule, apprehende fenestram. Ibi est scatula ramentorum flammiferorum². Quibus accendas candelas, qui altari sunt impositae. – Affrica, bene affrica! At tu affricas lateri falso, cui inest imaguncula mulierculae! Oportet affrices lateri aspero³! Ita fac! Iamne ardet? Rectê, iam ardet, bonus es puerulus. Fieri poteris sacristanus, tu, immo parochus fies et episcopus, et paululo post fies papa. Sic fiet, certê! – Tu, puerule, quia iam ines, i, vide, nonne in altari stat patella stagnea⁴?«

»Stat« inquam, »et insunt permulti cruciati atque grossi«. »Quam ista anicula iterum reliquit!« Trizelius foris dixit voce indignatâ. »Sic fit, nisi res ubique custoditur! In aniculis nulla fides. Quidnam ista apud agricolas colligit panem propter ministerium sacelli curandi, nisi curat pecuniam! En negligentiam infamem! Age, puer, êde mihi illam! Dico, ut mihi êdas illam patellam, stagneam illam patellam pecuniae!«

At ista res mihi parum recta esse visa est. Tandem quaesivi: »Ecclesiam diripere...?«

Tritzelius: »Ita est!« inquit, »Ecclesiam diripere possent praedones, si pecuniam relinqueremus in sacello depositam! At bonum ecclesiae est servandum. I, puerule, vide, iam attingam«.

Ille brachio per fenestellam protenso macros digitos longos per aëra huc illuc permovebat.

¹ orig. »Lalli! Wird doch ein Riegel sein.«

² ***scatula rāmentōrum flammiferōrum** i.q. orig. *Zündholzschachtel*. *scatula, -ae f. *Schachtel*. cfr R. Kobert, Lehrbuch der Pharmakotherapie, p.54: „...Trockene Arzneien... werden in der Armenpraxis in einem Papier (charta) oder Papiersäckchen (sacculus chartarius), in der besseren Praxis in einer **Falzschtel (scatula)** verabfolgt...“ – rāmentum flammiferum *Zündholz*. cfr Helfer, Lexicon Auxiliare³, s.v. Streichholz: „... (rāmentum) flammiferum [Ba.Latinitas 56,234]“.

³ orig. »Aber du raspelst ja auf der verkehrten Seiten, wo das Weibsbild pickt! Auf der rauhen muß raspeln!«

⁴ **patella stagnea** i.q. orig. *zinnernes Schüsserl*.

»Nequaquam« respondi, »equidem non diripiam ecclesias«.

»Ah puerilia ne loquaris! Quis hoc dixit? Noli tam stultê blaterare in itinere sacro! Te aliquando puniet Dominus Deus noster! Scilicet pecuniam deferamus Domino Parocho. Dominus Parochus me rogavit, ut sibi pecuniam afferrem a sacello cruciano«.

»Ergo tecum auferas, Tritseli«.

»At inire non possum. Tu autem iam ines. Visne in caelum venire?«

»Scilicet velim«.

»Ergo êde mihi pecuniam!«

Paulisper deliberanti mihi visus est aliquis alicubi susurrare: »Ne id feceris! Ne id feceris!« Tum clamavi voce magnâ: »Hoc non faciam!«

»Vah puerule Rustici Silvestris, fabulas ne agas!« ille foris blandê mihi dixit. »Debes Domino Parocho fidem praestare. Nescis an aliquando egeas eius auxilio. Fac ascendas in scamnum precatorium ut êdas patinulam. Ne quid dispergas, sanctus enim est omnis nummulus cruciatus! Age porro, puerule, age! Postea aliquid a me accipies«.

At ista verba illi nil profuerunt. Cum autem hoc tandem intellexeret, abiit exsecrans. Humus crepitavit, quia per nivem evasit in silvam.

Affectus eram nescio qua animi contumaciâ. At cum nunc in sacello tenebroso silentium esset vastissimum et duae candelae a me accensae ante imaginem viri crucifixi ardebant tamquam lumina mortuorum, coepi formidare. In crucifixi manibus pedibusque vidi sanguinem, et torpidis oculis cum suspicerem ad faciem eius pallidam spinis coronatam oculis fractis praeditam, subito mihi visum est caput eius moveri. Semel tantum – deinde tale erat quale antea.

Non contigit, ut pulpito precatorio¹ usus per fenestram ereperem; itaque restem campanae e turriculâ dependentem arreptum trahebam, non continuo, sed spatiis interpositis vehementer trahebam, sicut pulsari solet campana incendiaria. Fatigatus cum essem, in gradibus altaris consedi et exspectavi aliquem servatorem.

¹ orig. *Betpult*.

At apparuit neque Tritselius neque alius quivis. Clamabam et singultabam, denuo restem attrahebam. Tandem flendo campanâque pulsandâ prorsus defatigatus nescio an somno superatus sim. Cum resipuissem, ante crucem rigidam una tantum candela adhuc in extremis flagrabat, altera consumpta ardere desierat. Per fenestram conspexi tenebras nocturnas. Novo timore cum afficerer, simul animum cepi, quo iterum niterer ad scamnum precatorium, aegrê corpus meum pressi per fenestram, nunc primo caput brachiumque dextrum foras protendi, et nunc hoc bene successit. Cecidi in nivem, non diu iacens ei immanebam, sed cucurri ad viam. Humus erat congelata, caelum stellis consitum.

Quid his in rebus omnibus agendis cogitaverim, nescio – vix puto me permulta cogitasse; nam homini tot res agenti non restat tempus cogitandi. At nunc per campos decurrens et e longinquo luculam¹ micantem conspiciens etiam etiamque appropinquantem, cogitavi: ‘Num nunc mihi obviam venit carus Salvator?’ – Īdem reverâ mihi obviam vênit. Praeibat servus Villae Sclopetarii lanternâ atque campanulâ instructus, post eum ibat parochus veste choralis stolâque indutus, in sinu condens sacramentum. Itaque ego statim in margine viae genibus flexis, ut mos est, rogavi, ut benedicerer.

Parochus autem constitit et: »Ecce puer Rustici Silvestris. Quare foris adhuc ambulas multâ nocte?«

Tum narravi Tritselium mercennarium me inseruisse sacello cruciario, ut sibi êderem pecuniam sacrificalem, meque, cum hoc facere noluissem, deseruisse.

»O, istum furciferum!« servus Villae Sclopetarii vociferatus est. »At hodie istum invênit casus, qui saepe transierat². Is Diem Lunae Paschalem, quo homines sedent in cauponâ, haud iners reliquit. A sacello cruciario ierat ad Villam Sclopetarii, ibidem inscendit per fenestram granarii³, arcas diripuit, ab agricolâ deprehensus et prostratus est - eheu, mi care puer Rustici Silvestris, istae sunt fabulae! At nunc Tritselius est moriturus. Sacerdotem petit, credo eum

¹ ***lūcula**, -ae f. , orig. *Lichtlein*. cfr Beati Iohannis Dominici Cardinalis S. Sixti LUCULA NOCTIS, Texte Latin du Xve siècle, precede d'une Introduction, edite et annote par Remi Coulon, O.P., Paris 1908.

² cfr SEN.Herc.fur.326sq. quem saepe transit casus, aliquando invenit; orig. *Aber heut' ist sein Krügel brochen*, cfr *Der Krug geht so lange zum Brunnen, bis er bricht*.

³ orig. *Bodenfenster*.

nunc serio curare res sacras. Itaque nocte cucurri. Nunc redibimus, ille certê sitienter nos exspectat«.

Parochus me benedixit, deinde illi ire perrexerunt. Diu luculam vidi labentem flagrare, usque dum denique micans inter silvae arbores evanuit.



PETER ROSEGGER
(1843-1918)
Poeta Austriacus



In vico *Krieglach* (in Stiriâ Austriacâ sito) invenitur Viridarium Roseggerianum. Medio in eodem viridario stat haec sculptura a *Paulo Kassecker* confecta, quae appellatur '*Als ich noch der Waldbauernbub war*'. Qua monstratur Petrus puer pastor ovium nubes aspectans somniabundus.

CAPITULUM 38

LIBRI PETRI ROSEGGER,

c.t. Als ich noch der Waldbauernbub war

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS




QUI TEXTUM ORIGINALEM INVENIT HOC IN SITU RETIALI, QUI SEQUITUR: <http://gutenberg.spiegel.de/buch/als-ich-noch-der-waldbauernbub-war-1309/38>

CAPITULUM ORIGINALITER INSCRIBITUR HIS VERBIS:
Als ich nach Emmaus zog.

EDITORES INTERRETIALES FONTEM INDICANT HUNC QUI SEQUITUR: Peter Rosegger: *Als ich noch der Waldbauernbub war*, München (L. Staackmann Verlag) 1972, opus primo editum est a.1900.

LEPUS PASCHALIS

Fabella picturata



**Ecce lepus vigilat,
ne quis ova auferat;
eum septem ova peperisse
colore vario pinxisse!**



**Bono tantum ova dat,
furem autem alapat.
Cuius vestem excutit,
puer domum aufugit.**



**Accurrit pater acerbatus,
qui magnâ furcâ est armatus.
Auratum raptim vult necare,
is autem retro scit pulsare!**



**Venator nunc est certior factus,
necaturus fistulam est nactus.
At virum iam cepisse cogitantem
lepus invitum aufert provolantem.**

**Conscripsit et delineavit
Carolus Reinhardt (1818 – 1877)**

**In Latinum convertit
Leo Latinus.**

HISTORIA BOMBINARUM

V

PARS QUINTA



cfr Pars prima (EL 78), Pars secunda (EL 79), Pars tertia (EL 80),
Pars quarta (EL 129)

Bombina orientalis



Status systematicus

<i>classis:</i>	Amphibia
<i>ordo:</i>	Anura
<i>superfamilia:</i>	Discoglossoidea
<i>Familia:</i>	Bombinatoridae
<i>Genus:</i>	<i>Bombina</i>
<i>species:</i>	<i>Bombina orientalis</i>

(BOULENGER, 1890)

东方铃蟾

Bombina orientalis est amphibium anurum Asiae orientalis, quod spectat ad familiam *Bombinatoridarum*.

Notae peculiare et propagatio prolis

Haec bombina quattuor, maximum sex centimetra longa in parte superiore est coloris lucidê viridis – at praecipuê in individuis borealibus russicis est coloris griseo-fuscelli et irregularibus maculis nigris praedita, in parte inferiore pinguis coloris sanguinei (interdum etiam flavi-arancii) et nigris maculis marmoreis. Summi digiti etiam

sunt coloris ruberrimi. Dorsum consitum est asperrimis verrucis insigniter excelsis. Pupillae sunt formae triangularis. Mares, cum sacci vocalis expertes sint, submissê tantum vocant. Idem tempore coeundi (a m.Maio usque ad m.Augustum medium) in ambobus manuum sive brachiorum inferiorum digitis interioribus instruuntur nigris callis nuptialibus¹ et feminas amplexantur in regione lumbali, ita ut omnes species *Archaeobatrachiorum* facere solent. A *Bombinâ orientali* per intervalla complurium horarum aut dierum ova parvis portionibus minimum ternorum, maximum quadragenorum quinquorum parta affiguntur plantis aquaticis. Femina ter vel quater in anno ova parit et pro periodo pariendi ova fabricat 38 (duodequadraginta) vel maximum ducenta quinquaginta septem. Embryones et larvae crescunt per duos ferê menses.

Distributio et habitatio *Bombinae orientalis*

Bombina orientalis vivit in Sibiriae parte austro-orientali extremâ, in Chinâ boreo-orientali, in Coreâ. Quae species praefert regiones profundiores, distributa est in altitudine summum 500 (quingentorum) metrorum.

Haec species bombinarum tempore diurno plerumque vivit prope aquationes varias aut stantes aut fluentes, e.g. rivos, lacunas, fossas. Cum *Bombina orientalis* eget calore, eadem periodo activitatis in habitationibus sibiricis est brevi (hibernatio eius fit a mense Septembri exeunte vel Octobri ineunte usque ad Aprilem exeuntem vel Maium ineuntem). Aestate serâ hae bombinae saepe praeferunt vitam terrenam ideoque inhabitant silvas mixtas, prata umida aliosque biotopos terrestres. Ibidem solent etiam hibernare in latebris a gelu securis.

In Europâ interdum inveniuntur *Bombinae orientales* a bestiarum cultoribus expositae, quas hîc hiemem vitâ superare non est verisimile, nam individua terrarianis gratissima maximê multicoloria, potius oriunda sunt ex regionibus distributionis australibus. *Bombina bombina*, quae quibusdam in regionibus Europae mediae est

¹ **callum nuptiâle** i.q. theod. *Brunftschwiele*; angl. *nuptial pad*, *nuptial excrescence*.

autochtona, solet esse minus conspicua minusque verrucosa quam *Bombina orientalis*.

Tutela huius speciei



Bombina orientalis in dorso - aliter ac *Bombina bombina* – est pinguis coloris viridis.

Bombina orientalis secundum Legem Naturae Tutandae Foederalem (BnatSchG = *BundesNaturSchutzGesetz*) est species tutanda.

Bombesinum

A.1970 e cute *Bombinae orientalis* insulatum est hormon¹ peptidale, cui nomen impositum est bombesini. *Bombesinum* constat ex 14 acidis aminicis. Hormon similis structurae (27 acida aminica) in homine quoque inventum est. Bombesino cum alia tum sensus saturationis efficitur, sed etiam in novis radiopharmacis inveniendis aliquatenus valet.

¹ hormōn, hormontis n. pl. hormonta.

Bombina pachypus



Status systematicus

<i>classis:</i>	Amphibia
<i>ordo:</i>	Anura
<i>superfamilia:</i>	Discoglossoidea
<i>familia:</i>	Bombinatoridae
<i>genus:</i>	<i>Bombina</i>
<i>species:</i>	<i>Bombina pachypus</i> ¹ (BONAPARTE 1838)

Bombina pachypus (vel alternativê: *Bombina variegata pachypus*) intra ordinem *Anurorum* spectat ad familiam primigeniam *Bombinatoridarum* et ad genus *Bombinarum*. De statu taxonomico huius speciei, quae a.1991 propter differentias geneticas postulata est, alii aliter sentiunt; nonnulli auctores eam habent pro subspecie *Bombinae variegatae*².

Notae specificae

Bombina pachypus magnitudine atque conspectu persimilis est *Bombinae variegatae*. Mares et feminae longitudine sunt minimum 35, maximum 55 milimetrorum. Dorsum est coloris griseo-fusci,

¹ gr. παχύς *crassus* et πούς, ποδός *pēs, pedis*. Ergo epitheton specificum valet i.q. *crássipēs, crassípedis*.

² cfr commentatio litterarum, quae invenitur in situ interretiali "Amphibian Species of the World".

saepe maculis dilutis, lucidioribus. Venter lateribus interioribus, membris, digitis manuum pedumque inclusis est colore griseo-caeruleo vel nigro-caeruleo, notabilibus maculis areisve lucidè flavis vel aranciis interspersis, quibus plerumque plus dimidia pars ventris obtegitur. Similiter ac *Bombinae variegatae* in regione balcanicâ viventes *Bombina pachypus* saepius habet partes ventrales, quae sunt continuis areis maioribus coloris flavi aut arancii.

Distributio *Bombinae pachypodis*



**Distributio *Bombinae pachypodis* (color caeruleus)
et *Bombinae variegatae* (color viridis)**

Cum regio distributiva *Bombinae variegatae* (quod est taxon nominotypicum) in Italiâ limitem australem habeat ferè in Padi fluminis altitudine, in regione Padi australi nulla bombina vivit nisi *Bombina pachypus*; ergo nullae sunt regiones, in quibus vivat taxon utrumque.

Quae pericula huic speciei immineant

Bombina pachypus periclitatur propter habitationis destructionem. Status huius speciei tutandae secundum praecepta FFH (ad Faunam, Floram, Habitationem spectantia) aequalis est statui *Bombinae variegatae*.




Bombina lichuanensis

Bombina lichuanensis intra ordinem *Anurorum* spectat ad familiam *Bombinatoridarum* primigeniam et ad genus *Bombinarum*. Haec species a.1994 demum primo descripta est, inventa in *Beiyang*, provinciâ *Hubei* necnon in *Sichuan*. Quae species originaliter habita est pro varietate *Bombinae maximae*, a quâ vix differt nisi colore ventris. At disquisitionibus biologiae molecularis inventum est *lichuanensem* a *maximâ* esse distinguendam.¹ Haec species inhabitat paludes, quae sunt altitudinis ferê 1800 metrorum et ad prolem propagandam eget lacunis. Quia distributa est per parvam tantum regionem, *Bombina lichuanensis* in Indice Specierum Rubro (IUCN) indicatur esse vulnerabilis.²

Status systematicus

<i>classis:</i>	Amphibia
<i>Ordo:</i>	Anura
<i>Superfamilia:</i>	Discoglossoidea
<i>familia:</i>	Bombinatoridae
<i>genus:</i>	<i>Bombina</i>
<i>species:</i>	<i>Bombina lichuanensis</i> YE & FEI 1994



¹ Guohua Yu, Junxing Yang, Mingwang Zhang, Dingqi Rao: *Phylogenetic and Systematic Study of the Genus Bombina (Amphibia: Anura: Bombinatoridae): New Insights from Molecular Data*. In: *Journal of Herpetology*. Tom. 41, Nr. 3, a.2007, p. 365–377 (anglice).

² <http://www.iucnredlist.org/details/54446/0>

Bombina maxima



Status systematicus

<i>classis:</i>	Amphibia
<i>Ordo:</i>	Anura
<i>Superfamilia:</i>	Discoglossoidea
<i>familia:</i>	Bombinatoridae
<i>genus:</i>	<i>Bombina</i>
<i>species:</i>	<i>Bombina maxima</i> Boulenger, 1905

Bombina maxima intra ordinem *Anurorum* spectat ad familiam *Bombinatoridarum* primigeniam et ad genus *Bombinarum*. Eius bombinae longitudo maxima a variis auctoribus variè indicatur: qui indicant minimum septem, maximum decem centimetra, quorum numerorum prior videtur esse verisimilior. Dorso haec bombina aliquatenus similis est europaeae *Bombinae variegatae*, quia item est coloris griseo-fuscelli et verrucosa. At verrucae, quibus *Bombina maxima* est obsita, sunt maiores quam verrucae alterius speciei *Bombinarum*, i.e. *variegatae*, et interdum potius monent parotidum, quae sunt tori glandulosi post oculos *Bufo* *idarum* siti. Venter autem

Bombinae maximae, quo praedatores absterrentur, est coloris carmesini¹.

Haec species invenitur in Chinae provinciis australibus, quae sunt *Sichuan* et *Yunnan* ibique habetur pro specie amphibiorum relativè frequenti. Eius habitationes sunt lacûs et stagna et fossae montanae, quas, ut omnes species generis *Bombinae*, inhabitat more semiaquatili. Ceterum *Bombina maxima* amat circumiecta, quae abundant vegetatione.

(Sexta pars sequetur)

**HISTORIAE BOMBINARUM
PARTEM QUINTAM
COMPOSUIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

¹ ***carmesīnus**, -a, -um cfr Va.80 = Váczy, Coloman: Lexicon botanicum polyglottum latino-dacoromanico-anglico-germanico-gallico-hungarico-rossicum. Bukarest 1980, p.113, 93: „*CARMESINUS*, *CARMINATUS*, *CARMINEUS*, roşu-carmin, roşu-închis [carmine, crimson, deep red-coloured; karmesinrot, karminfarbig; cramoisi, rouge carmin; kárminpiros, élénkpiros; кармино-красный] → *chermesinus*.”

VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (III)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum decimam, quae spectat ad res accessorias. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM –
IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA ET
INSTRUMENTA COQUINARIA – VII. DOMESTICA – VIII. AUTURGIA
ET HORTICULTURA – IX. VESTIMENTA – X. RES ACCESSORIAE
PERSONALES – XI. ARTES ET ARCHITECTURA –
XII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA –
XIII. TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV. ENERGIA – XV.
SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas partem **ARTIUM ET ARCHITECTURAE tertiam (III)** vocabulis Latinis ditificatam. Faveas, quaeso, operi nostro laborioso.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

theodiscē	anglicē	francogallicē	hispanicē	italicē	LATINĒ
p.408 Burg	castle	château fort	castillo	castello	castrum , -ī n.
Mauer- türmchen	turret	tourelle	torreta	torretta	turricula , -ae f.
gedeckter Wehrgang	covered parapet walk	chemin de ronde couvert	adarve cubierto	cammino di ronda coperto	+corseria obtēcta
Eckturm	corner tower	tour d'angle	torre esquinera	torre angolare	turris angulāris
Mauerturm	flanking tower	tour de flanquement	torre flanqueante	torre de fiancheggiamento	turris laterālis
Kurtine	curtain wall	courtine	muralla	cortina	cortīna , -ae f. [Muratorius, Ludovicus Antonius: Antiquitates Italicae medii aevi, sive Dissertationes de moribus ..., Arretii 1774, tom.5, col.128sq.]
Wache, Wachhaus, Warte	guardhouse	corps de garde	cuerpo de guardia	corpo di guardia	specula , -ae f. vigiliārium , -īī n. custōdiārium , -īī n.
Kragstein	corbel	corbeau, modillon	modillón	beccatello	mutulus , -ī m.
Pechnase, Bretesche, Gußerker, Wurferker, Wehrker Verteidigungs- erker	machicolation, brattice	mâchicoulis, bretèche	matacán	caditoia, bertesca	+machicolāmentum , -ī n. [S.R. Meyrick, A critical inquiry into ancient armour, as it existed in Europe, vol.3: "MACHICOLAMENTUM A machicolation or perforation of a wall of a fortress, through which the besieged annoyed their enemies. They were generally attached to gateways, and werde formed either by simple perforations in the arch roofed of the gateway, or by projecting parapets outside, which were open at bottom." – DuC tom.II, col.1104, s.v.: "munimenti oppidorum species, Gall. Machicoulis, Macioliz ... MACHICOLARE. Machicolamentis munire. "]
Wehrmauer	rampart	rempart	muralla	cinta muraria	+mūrālia , -ium n.pl. [DuC. Tom.II, col.784: "MURALE: Ugutio: idem est quod murus, Gallis <i>Muraille</i> , Italis <i>Muraglia</i> . Henric. Huntindon.1.8 p.392. <i>Resonabant colles, resonabant urbis muralia.</i> "]
Zugbrücke	drawbridge	pont-levis	puente levadizo	ponte levatoio	pōns levātor [DuC.] pōns cadīvus [DuC.] pōns subductārius [Scheller, Zedler] pōns tractilis [Promptorium Parvulorum Sive Clericorum, Londini ca. a.1343 p.13; Kurath/Kuhn, Middle English Dictionary, Univ. of Michigan ,5.ed. 1998, p.1287] pōns pēnsilis [Janus, Daniel Friedrich: Philolo- gisches Lexicon der reinen und zierlichen Latinität: Philologisch- critisches Lexicon Leipzig 1730, p.831, s.v. Hortus pensilis: „pons pensilis, eine

					Zugbrücke“.]
Barbakane	barbican	barbacane	barbacana	barbacane	+barbacana , -ae f. [http://ducange.enc.sorbonne.fr/: “ BARBACANA , Propugnaculum exterius, quo oppidum aut castrum, praesertim vero eorum portae aut muri muniuntur : unde <i>Antemurale</i> , <i>promurale</i> , et <i>murus exterior</i> , non semel appellatur, cujus vocis originem plerique ab Arabibus accersendam putant. An etymological dictionary of the French language, p.46:“+ Sarbacane, ^f. a barbican ; introd. from the East by the Crusaders, like many other military terms. Barba-cane (originally barbaquane in Joinville) is the transcription of the Ar. barbak-khaneh (a rampart).”
Steg	footbridge	passerelle	pasarela	passerella	ponticulus , -ī m.
Mantelmauer	chemise	chemise du donjon	camisa	falsabraca	+antemūrāle , -is n.
Zwinger	lists	lice	lica	lizza	pomoerium , -īī n.
Burggraben	moat	douve	foso	fossato	fossa castrī
Schar- wachturm	bartizan	échauguette	garita	garitta	turricula specula
Palisade	stockade	palissade	empalizada	palizzata	prōpugnāculum , -ī n.
Poterne	postern	poterne	poterna	postierla	posterula , -ae f. [CASSIAN.instit.cen.5,11; AMM.30,1,13]
Kapelle	chapel	chapelle	capilla	cappella	sacellum , -ī n. +cappella , -ae f.
Gusserker	brattice	breteche	ladronera	bertesca	+bretachia , -ae f. [DuC.]
Zinnenkranz	battlement	parapet	almena	parapetto	*crēnulātiō , -ōnis f.
Wehrgang	parapet walk	chemin de ronde	adarve	cammino di ronda	+corseria , -ae f., +curseria , -ae f. [DuC.]
Fiale	pinnacle	clocheton	pináculo	pinnacolo	pinnāculum , -ī n.
Bergfried	keep	donjon	torre del homenaje	maschio	+balfrēdus , -ī m.
Palas (m., n.)	palas	demeure seigneuriale	castillo	palazzo residenziale	palatium , -īī n.
Burghof	bailey	cour	patio de armas	cortile	curtis , -is f.

Haec vocabula artium et architecturae excerpsit et in Latinum convertit

Nicolaus Groß
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

(Sequetur VOCABULORUM ARTIS ET ARCHITECTURAE PARS (III))

VERBA PASCHALIA

Exornatissime ac doctissime Director,

si Transcendentiam non possemus percipere ne esse quidem nec magis ens mens concipere posset. At capacitas mythica dedit sibi quod potest formari anhelitus indicibilis. At celebratio mythica itinerarium ad conscientiam transfigurat. Propter hoc omnia ubicumque sunt nomina rerum, quorum signa pertinent ad Transcendentiam. Per haec signa vota auspiciamque tollo ut ea comprehendere possimus mente cordeque.

Vobis sollemnia omina.

Johannes Teresi

“Amor erga Transcendentiam realis est nisi diligens transfiguratio mundi”

(Karl Jaspers, *Metaphysica*)

Et inter gentes vixit

quae incredulae audiverunt
signisque potentibus adsenserunt.

Unde Verbum eius ardens refluit
pagos, montes, flumina involvit.

Puer fuit.

Vir factus, pontes
fraternitate amoreque construxit
se ad crucis mortem Deo parendo duxit.

Amici fideles eum secuti sunt

Panis cum Vino et res

Voluntate eius permutati sunt.

Tertia die mors, incredulitas
mundus caecus devincti sunt.

Ad gentes rediit ut pridie
eum Filium Dei, Amori oblatum
omnes viderunt et crediderunt postridie.

Alitus quisque vitae, pulsus quisque cordis

Nova Luce ardenti animi augetur fidentis.

Vixit dein et omnibus Magister fuit.

Johannes Teresi

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TRICESIMAM**


SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Dominico Paschali, d.16. m.Apr. a.2017

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>



**Ecce lepus vigilat,
ne quis ova auferat;
Eum septem ova peperisse
colore vario pinxisse!**